

scatis sepulchra Prophetarum, & dicitis. Si fuissetis in diebus Patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum. Interim impletis mensuram Patrum vestrorum, cum missos à Deo sanctissimos viros impiè occidistis, adeo ut veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae filii Barachia, quem occidistis inter Templum & altare. Jerusalem, Jerusalem, qua occidit Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt! Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Converso dein ad populum sermone; Non me videbitis, inquit, amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini (k).

k Matt. 23. 23.
39.

**Gazophylacium collatitia Fide-
lium pecunie & muneribus ex-
cipiendis destinatum.**

Edens Jesus è regione Gazophylacii, viros plures locupletes ingentem collatitia pecunie summam conferentes animadvertit; cum interim mulier quædam vidua paupercula, non nisi duo minuta, nempe quartam scilicet partem, obtulisset. Accitos ergo Discipulos ita affatus: Vidua hæc pauper plus omnibus contulit. Omnes enim ex eo quod abundabat obtulerunt; hæc verò de penuria sua omnia, quæ habebat, largita est [l].

l Mar. 12. 41.
44. Luc. 21. 1.
4.

**Templi magnifici adificium. Eversio-
nis illius imminentis vati-
cinium.**

Sub vesperum exeunti è Templo Jesu sumptuosam illius adificii structuram, munerum divitias, & lapidum, quibus constabat, immanitatem indicarunt. Quibus Jesus futurum tandem prædixit, ut tota ea moles aded subverteretur, quòd ne lapis quidem lapidi superstructus maneret. Cum autem ad declivem Montis Olivarum, unde in Templum prospectus, pervenisset, assedit; rogantibusque Discipulis, quando oraculum illud, de everfione Templi implendum destinaretur; & quod de oraculi illius fide signum daret, hæc reposuit (m).

m Matt. 24. 1.
3. Marc. 13. 1.
4. Luc. 21. 5. 7.

**Plures Pseudochristi & Pseudopro-
pheta.**

CAvere nequis unquam vos seducat, plures enim meo nomine venientes sub obtentu Christi incautos seducent. Undique autem obstrepent bellorum, præliorum, & seditionum rumores. Quæ omnia non terminus erunt malorum, sed initium & crepundia. Gentes in gentem committentur, ingruent pestes, fames, terremotus, & cælitus terrendis hominibus data signa; quæ omnia futura ca-

lamitatis præfagia. Antè hæc omnia injectis in vos manibus rapiunt ad Iudices, coram eorum cœtu sistent, quòd palam meo nomini testimonium feratis. Bono tamen animo vos esse inter ingruentia hæc mala jubeo, neque sollicitos de paranda vobis defensione cogitare; ego enim tantam vobis sapientiam, & eloquentiam suppeditabo, ut stare contra vos hostes nequaquam possint; neque enim, vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris mei qui loquitur in vobis. Persecutorum vestrorum numerum augebunt necessarii quique vestri, & amicorum charissimi, totiusque orbis in vos mei gratiâ invidiam creabitis; ab omnibus prodemini, ac tandem nec vestrâ odio suo indulgebunt. Surgent pariter plures pseudofrateres, & pseudopropheta; sed qui perseveraverit usque in finem, salvus erit. Antè illarum rerum exitum, Evangelium longè latèque per orbem annuntiabitur (n).

n Matt. 24. 5.
14. Marc. 13.
6. 13. Luc. 21.
8. 19.

**Cum urbs Jerusalem obsidione pre-
metur, fugite ad montes.**

ORationem illam suam ita profecutus est: Cum vos hostium coronâ cinctam urbem Jerusalem videritis, atque abominationem desolationis prædictam à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, tunc imminere Urbis excidium reputate. Quare si quis in Judæa tum temporis versatur, ad montes statim confugiat; qui super tecta, fugâ se proripiat, ne dato quidem ingrediendi domum, ut charum ali- quod secum deferat, tempore; qui in agris, neglectâ urbe, cum iis, quibus amicitur vestibus fugiat. Urget enim dies ultionis: Veh nutrientibus & pregnantibus, illis diebus. Orate autem, ne fiat fuga vestra in hyeme vel Sabbato. (non enim satis prompta esset eo tempore fuga) Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi brevitati fuissent dies illi propter electos, non fieret salva omnis caro. Adjecit, multos tunc seductores, Christi & Prophetae nomen prætendentes, prodigiorum fulgore ita oculos mortalium perfricturos, ut vel electis ipsis possent imponere; adventum autem Filii Dei velut fulgur, quâ latè patet Judæorum gens, micaturum (o).

o Matt. 24. 15.
27. Marc. 13.
14. 23. Luc.
21. 20. 24.

Signa in Sole & Lunâ.

Hæc omnia consequentur signa in sole pariter & astris edita, quæ omnium gentium luctus & consternatio excipiet, utpote imminens grande aliquod malum, expectantium. Ejulabunt vicem suam omnes per orbem nationes, cum signum filii hominis subitò inter nubes emicabit, atque ipse tandem nube vectus, & Angelorum satellitio comitatus, parebit; quorum nempe Angelorum ministerio è quatuor Cæli angulis electi cogentur. Cum videritis hæc omnia, ait, levate capita vestra, ecce appropinquat redemptio vestra. Imminentis æta-

ætatis præludium ex arbore fici gemmante captatis: ita pariter ex his omnibus de adventu Regni Cælorum certum vos capere argumentum licet. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec hæc omnia fiant. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt (p).

p Matt. 24. 28.
36. Marc. 13.
24. 32. Luc.
21. 25. 34.

**Sic erit adventus Filii hominis,
quemadmodum diluvium
sub Noe.**

ITA planè filius hominis venturus est, quemadmodum olim sub Noe diluvium. Inter comestationes lætaque connubiâ, diem fallebant mortales, cum subitò aquarum effusus imbribus inundatâ terrâ, omnes demersi sunt. Ita planè erit & adventus Filii hominis. Tunc duo erunt in agro, unus assumetur & unus relinquetur. Dua molentes in mola, una assumetur, & una relinquetur. Vigilate ergo, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Ita vos exhibete, quemadmodum vigil servus, qui adventum Domini sui, incertus quâ horâ, nunquam non operitur. Si sciret Pater familias quâ horâ sur venturus esset, vigilareret utique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati, quia, quia nescitis, horâ Filius hominis venturus est (q).

q Matt. 24. 38.
44. Marc. 13.
33. 37.

**Parabola duorum servorum, quo-
rum alter fidelis, alter in-
fidelis.**

ADjecit parabolam famuli, qui à Domino distribuenda in reliquos servos annonæ præpositus, munus suum integrâ adeo implevit fide, ut ejus merito univerfæ domus Oeconomus constitueretur. Si verò famulus ille concessâ sibi potestate abusus, reliquos servos injuriis & verberibus afficiet, comestationibus, & ebrietatibus tempus fallet; inopinus superveniens Dominus pro merito suo, ait Christus, multabit, detruet in carcerem, & infidelitatis atque imprudentiæ ipsius ultionem exiget acerbissimam (r).

r Matt. 24. 42.
51.

Parabola decem Virginum.

ATtexit alias parabolas ad eundem scopum collimantes, ut decem Virginum, quarum quinque sapientes, stultæ totidem; illæ parato lampadibus suis oleo, sponsum opperiantur; istæ omnia negligunt. Superveniente sponso, quo tempore omnes quiescebant, sapientes excusso stultim somno lampades suas facile aptarunt; stultæ postulato à comitibus oleo, nec obtento, ad emendum sibi illud procurant. Venit inter hæc Sponsus, & quæ parata erant, intraverunt cum eo ad nuptias, ceteris absentibus exclusis. Vigilate itaque, ait Jesus, quia nescitis diem neque horam (s).

s Matt. 25. 1. 5.
15.

**Parabola Patris familias, talent
in famulos distribuentis.**

Narravit pariter de homine, qui iter aliquod initurus, pecuniam divisit in famulos, negotiationis agenda gratiâ. Dedit uni quinque talenta, alteri tria, tertio unum. Cum redisset ad propria, & rationem poneret in servos, is cui quinque talenta crederat, bis totidem tulit accepto; qui tria, sex rependit; quare laudatos utroque ad instructum à se convivium admisit. Venit tertius, qui datum sibi talentum restituit, dicens, desolum in terra sedulo custodisse se, ne à quoquam pecunia raperetur; norat enim rem sibi esse cum Domino duro pariter & crudeli, cujus pecuniam discrimini exponere periculosum esse arbitrabatur. Iratus ad hæc herus, tolli ab eo talentum & dari alteri, qui decem rependerat, ac foras è domo pelli imperavit (t).

t Matt. 25. 14.
30.

Judicium Filii Dei describitur.

Venturus ad hominum judicium Filius Dei, ait, Angelorum satellitio comitatus descendet, atque throno gloriae suæ affidens, oves ad dexteram suam, hædos statuet ad sinistram. Horum primos ad gloriam Regni sui invitabit, illos mittet in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Porro Electis suis laudi dabit, quòd esuriens, sitiens, in malis versans, ipse solatium apud illos & levamen invenerit; quòd enim, inquit, uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Reprobis vicissim crimini vertet, quòd in necessitatibus suis, fame, sitique durus illos atque immisericordes nactus sit; sibi enim sumere, quidquid minimis suis mali rependissent (u).

u Matt. 25. 31.
46.

**Jesus Christus mortem suam & pas-
sionem Discipulis prænnunciat.**

Verso dein ad Apostolos sermone, admonuit futurum, ut Paschate post biduum celebrando, Filius hominis in manus hostium traditus, crucis supplicio tandem perimeretur (x). Inter hæc deliberabant Principes Sacerdotum, quâ ratione Christum tenere potuissent; in quam rem minus opportunum tempus diem festum, nequid seditionis in populo exciretur, censebant (y). Dum hæc agitabantur consilia, Judas, unus ex duodecim Apostolis, cum iniquo esset in Jesum animo; Sacerdotes conveniens, pactâ mercede proditorum se in eorum manibus Magistrum spondit. Oderat Magistrum Apollolus, quòd in profusionem unguenti pretiosi in pedes Jesu effusi obmurmurantem in se, Preceptor ipse reprehendisset. Proditionem igitur in se sumens Judas, opportunam captabat occasionem, qua solitariam, & à turbarum affluentium concursu remotam

x Matt. 26. 1.
2. Marc. 14. 1.
2.

y Matt. 26. 3.
4. 5. Marc. 14.
1. 2. Luc. 22.
1. 2.

2 Matt. 26. 14. 16. Marc. 14. 10. 11. Luc. 22. 3. 6. De hac temporis distributione vide quae adjectimus ad calcem Dissertationis de Paschate.

Feriâ quintâ, 13. Nisan, 2. Aprilis [a]. Pro Festo Paschatis praeparatio.

Feriâ quintâ contulit se Jesus ad montem Olivarum sive Bethaniam, nec nisi inclinante jam die Jerosolymam contendit. Cum verò nullam ibi certam haberet domum, à Discipulis rogatur, quod potissimum coenaculum celebrando Paschali convivio seligeret. Jussit ille Petrum & Joannem ire ad Urbem, & quem primum offenderent hominem, lagenam aquae portantem, sequi; deducendos ab illo in coenaculum firatum, in quo nihil eorum, quae ad Pascha desiderantur, defuturum scirent. Venerunt illi, factaque fermenti perquisitione de more, coenam appararunt. Inclinante autem die ad montem Olivarum regressi, praestita à se omnia Magistro retulerunt (b).

b Matt. 26. 17. 18. 19. Marc. 14. 12. 16. Luc. 22. 7. 13.

Novissima coena Jesu Christi Jerosolyma.

SUB vesperam ingressus in Urbem Jesus, ad paratum ab Apostolis coenaculum Paschali convivio celebrando se contulit. Discumbentibus omnibus palam edixit, ex eorum numero quemdam proditorem in se moliri. Attonitis similes Apostoli, pro se singuli rogabant, num de ipsis diceret. Siluit Jesus, id tantum adiens, unum ex duodecim eidem adhibitum convivio nefarium illud crimen moliri; oportere autem ire se, quod Scripturarum fides impleteretur; sed vch infandâ proditoris auctori! Simul ad hanc Judas, num de se loqueretur interrogavit; & Jesus submissâ fortè voce, cum Apostoli ceteri nihil intellexerint: Tu dixisti (c).

c Matt. 26. 20. 25. Marc. 14. 17. 21.

Eucharistia institutio.

INTER vescendum significavit Jesus, se magno semper desiderio flagrasse Paschae illud cum Discipulis vescendi; postremum enim illud esse, quod cum illis celebraret, convivium. Simulque calicem accipiens, dixit, se nupiam adhuc de eo genimine vitis degustaturum, donec novum biberet in Regno Dei; atque gratis, degustare jussit de illo omnes singillatim, Luc. 22. 17. ... 18. Acceptum panem benedixit, fregit atque commensalibus distribuit, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Ita & benedictum prius poculum degustandum tradidit, suum esse sanguinem dicens, pro humani generis salute effundendum. Tum adjecit: Hoc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis; tum & illud iterum protestatus, se nihil cibi potusve amplius degustaturum nisi dum in Regnum suum veniret [d]. Ad Petrum autem conversus significavit (*): Ecce Satanas expetit vos ut cribraret sicut triticum; ego autem

d Matt. 26. 26. 29. Marc. 14. 22. 25. Luc. 22. 19. 20. Confer 1. Cor. 11. 23. 25. Luc. 22. 24. 32.

rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Apostoli de prima inter se dignitate disceptant.

Disceptabant Apostoli, quis eorum dignior haberetur; quibus Jesus: Reges terra, ait, dominantur eorum; vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor. Vocatis me magister & Domine, & bene dicitis; ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Vos permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo, & sedetis super thronos, judicantes duodecim Tribus Israel (e).

e Luc. 22. 25. ... 30.

Pedes Apostolis lavantur.

POST coenam, insigne humilitatis & amoris erga Apostolos sui argumentum Jesus relicturus, surgens à mensa, postisque vestibus, & linteo accinctus, lavandos suscepit singulorum pedes, & linteo, quo praecegebat, abstergere. Ad Petrum cum venisset, recusavit ille pedes ad lavandum exhibere, nunquam se id commissurum dicens, ut lavari se à Magistro fieret. Cui Jesus: Si non laveris, non habebis partem mecum. Protulit illic pedes Apostolus, oblaturum se pariter & caput protestatus. Eâ lotione peractâ, Jesus vestibus resumptis, id à se praestitum dixit, ut insigne exemplum imitarentur; si Magister etenim pedes illorum lavisset, lavare se invicem ipsi pariter debuissent (f).

f Joan. 13. 1. 22.

Charitatis & unionis vinculum inter Apostolos.

ORationem autem suam prosequens, dixit, non nisi modico adhuc temporis spatio se cum illis versaturum; querendum ab illis nec inveniendum. Hortatus ad mutui amoris consensionem, quibus, ait, characteribus Discipulos vos meos praestabitis. Interroganti Petro, quod demum esset abiturus, respondit: Quid ego vado, tu nescis modò, scies autem postea. Et Petrus, cur ergo, ait, ego non potuerim? vel vitam pro te meam tradere paratus sum. Jesus ad hanc: Animam tuam pones pro me? Amen dico tibi, non cantabit Gallus, donec me ter neget.

Interrogavit proinde, num ad Evangelium annunciandum antehac à se missis, sine argento, & calceamentis, num, inquam, aliquid ipsis desuisset; & cum nihil desuisset responderent, Sed modò, ait Jesus, qui habet sacculum, tollat similiter & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Quibus verborum ambagibus rerum omnium, qua dein opprimerentur, penuriam, & imminentes illis persecutiones designabat. Sed Aposto-

li

li ad literam sermonem ejus interpretati, attulerunt illico geminos gladios, num satis essent interrogantes. Sed Jesus majoris momenti aliquid ipsis annunciaturus, nil hec curans, respondit: Satis est; quippe qui norat futurum, ut post resurrectionem suam verborum illorum sensum assequeretur (g).

g Joan. 13. 33. 38. Luc. 22. 35. 38.

Jesus vadit, & Apostoli locum nesciunt.

QUANTAM in se fiduciam collocarent, post hanc fufius demonstrans, protestatus est se ire in domum Patris, in qua plures essent mansiones, singulas singulis paraturum. Rediturum se postea ad illos deducendos; & tunc notum illis futurum & locum, quem ipse petierit, & viam. Ad hanc Thomas: Domine, nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire? Excepit Jesus: Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis. Philippus ostendi sibi Patrem, nec aliud se ceterosque poscere, obsecrabat. Cui Jesus: Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba quae loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater in me manens, ipse facit opera. Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me, mandata mea servate; & ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Adhuc modicum, & Mundus jam me non videt, vos autem videtis me. In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo. Et ego diligam eum, & manifestabo ei mensum (h).

h Jo. 14. 1. 21.

Jesus Christus manifestat se Discipulis, non Mundo.

QUASIVIT Judas, sive Thaddaeus, cur ipse se Discipulis, non Mundo proderet. Respondit Jesus: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniet, & mansionem apud eum faciet. Adjecit, scitentiam illis suppeditaturum Spiritum Paraclitum à Patre mittendum, quo dicta à se omnia assequantur. Dare se illis pacem, non quomodo solet Mundus; nec verò turbarentur, neque formidarent. Audistis, ait, quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, utique gauderetis, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est. Jam non multa loquar vobiscum; venit enim Princeps Mundi hujus, & in me non habet quidquam. Sed ut cognoscat Mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; surgite, camus (i).

i Jo. 14. 22. 31.

Ad Montem Olivarum se confert.

COENACULO igitur egressus post hymnum actionum gratiarum de more recitatum, ad montem Olivarum se contulit (k).

k Matt. 26. 30. Marc. 14. 26. Luc. 23. 39.

Jesus vinea est, Pater agricola, Discipuli palmites.

UNTES alloquebatur Jesus, se vineam esse, cujus agricola Pater, edicens. Omnem autem palmitem, ait, non ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Si manseritis in me, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei praecepta servavi, & maneo in ejus dilectione. Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem; sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Hac loquutus sum vobis, ut gaudium vestrum impleatur (l).

l Jo. 15. 1. 13.

Apostoli Amici Jesu Christi.

PROTESTATUS est, nolle se amplius servos illos dicere, cum servum Domini consilia lateant, sed amicos, quibus commissa sibi à Patre secreta revelasset. Adjecit: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut fructum afferatis, & fructus vester maneat. Ait nihil esse cur stuperent, si odium in se Mundi provocassent, cum & ipse prius ejus invidiam fuerit expertus. Si de Mundo fuissent, suos amasset Mundus; cum segregatos & seledos, ut essent Christi, Mundus tanquam alienos odio prosequeretur, revocarent in memoriam id à Magistro antea prænunciatum; famuli conditionem nihilo quàm Domini meliorem esse; & si persecutionem ipse tulisset, & illos paria toleraturos. Et vicissim, si sermones ipsius homines servarint, & illorum servaturos. Si non venissem, adjecit, & locutus eis non fuisset, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & Patrem meum odit; si opera non fecissem eis, quia nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt me & Patrem meum. Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis (m).

m Joan. 15. 15. 27.